



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

De ducente simul duas vxores, & de muliere fideli nubente viro infideli, &
de forma recipiendi eam ad poenitentiam. Capvt LXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

ANNO
CHRISTI
315.
tetur de morte eorum omnibus ecclesiis & mona-
steriis illius parœciæ , vt fiat oratio pro eis . & hic
Canon caret excommunicatione.

*De ducente alteram uxorem dimissa quacumque de causa priore , vel
etiam non dimissa , & de falso accusante uxorem de adulterio.*

CAPVT LXVI.

Quicumque sacerdos aut diaconus vxorem suam propter fornicationem dimiserit , aut ob aliam causam , vt supra dictum est , aut domo eiecerit propter bona externa , vel vt illam altera pulchri- re aut meliore aut ditiore mutet , vel propter con- cupiscentiam suam , quod Deo displicet ; & illa ob has causas dimissa , ipse cum altera matrimonium contraxerit ; aut non dimissa , alteram duxerit , si- uie liberam , siue seruam ; & ambas pariter habeat licet separatim habitantes , & singulis noctibus cum altera earum cubet , vel eas in eadem domo vel in eodem lecto habeat , deponatur . Si vero fuerit lai- cus , prohibeatur communione fidelium . Sin au- tem falso aliquis vxorem suam de adulterio infama- rit , vt eam dimittat , inquirendum diligenter de hac re est ; & si hoc falsum fuerit , deponatur , si ex clero est : sin autem laicus , prohibeatur ingressu ecclesiæ & communione fidelium , & cogatur ha- bitare cum ea quam infamauit , quamuis deformis & pauper & insana sit . & qui non obedierit , a Sy- nodo excommunicatur .

*De ducente simul duas uxores , & de muliere fideli nubente viro infideli ,
& de forma recipiendi eam ad pænitentiam.*

CAPVT LXVII.

Quicumque duas mulieres in matrimonium si-
Concil. Tom. 2. Oo ij

mul acceperit, ipse cum secunda excommunicetur: & quæcumque mulier fidelis viro infideli nupserit, ipsa quoque a communione fidelium separetur: quæ si pœnitentiam maleficii egerit, & eum virum quem habere non poterat, id est, infidem, dimiserit, non est recipienda nisi eo modo quo recipitur is qui postquam fidem negauit, ad fidem reuertitur; debetque ipsa infidelem relinquere. erit autem pœnitentia eius qui ad fidem reuertitur, & eius quæ virum infidelem reliquit, ferre cilicum, dormire super cinerem: constituendumque est eis de ieunio & de bonis operibus, prout conueniat; & postea licebit cum fidelibus conuersari, & communionem sacram accipere. & qui contradixerit, a Synodo excommunicatur.

De dante filiam, aut sororem neque scientem, neque volentem, viro infideli in matrimonium.

C A P V T L X V I I I .

Si quis fidelis filiam , aut sororem non conscientiam , neque volentem , neque cogitantem , neque praesentem dederit nuptum infideli , separabitur , & prohibebitur communione fidelium : ipsa vero quae data est in matrimonium , non est prohibenda . Si autem qui hoc fecit , poenitentia ductus illam ab infideli separauerit , constituenda est ei poenitentia secundum peccatum eius , quanta sacerdoti videbitur conuenire illi , & ab eo sustineri posse . quod si poenitentiam patienter sustineat , debet humanius cum eo agere sacerdos . & qui non paruerit , Synodus eum excommunicat .